

rum cum per 28. diuido, prodeunt per diuisionem 56. qui numerus tot integras reuolutiones cycli Solaris, à natiuitate Christi esse completas ostendit. Remanent verò post diuisionē 17. quem numerum pro cyclo solari pono: idēq; ad annū Domini currentem propositum 1576.

A L I V D.

Iubeor inuestigare cyclum solarem, ad annum Domini currentem 1559. huic igitur anno Domini proposito 9. addo, et conflantur anni 1568. quod cum per 28. partior, proueniunt 56. qui numerus tot reuolutiones cycli solaris, à natiuitate Christi esse completas significat. Nihil autem prorsus post diuisionem relinquitur. Accipio ergo complementum totius cycli solaris, quod est 28. Hoc namq; mihi cyclum Solarem, ad annum Domini propositum 1559. superpediat.

DE LITERA DOMINICALI AD QVEM
libet anuum Domini currentem, inuenienda.
C A P V T III.

Litera dominicalis à dominico die nuncupatur. Dominicus autem dies à Domino DEO nomen accepit, quem sanctificare iussit, quicq; tantis diuinis mysterijs, ac beneficijs consecratus est, ut quicquid à Domino Deo insigne institutum est, in huius ferē dei dignitate gestum sit. Hac die Mundus exordium sumpsit: hac per resurrectionem gloriosissimam Iesu Christi peccatum est abolitum, mortis aculeus ademptus, vitæ reparatio facta. Litera porro dominicalis quotannis mutatio duplici de causa existit. Primo constat, annum Solarem communem dies 365. continere, quos si per septem diuiseris, in quotiente hebdomadas 52. & diem vnum residuum reperies. Cum igitur feriarū elementa septem numerentur. A. B. C. D. E. F. G. quorum crebra repetitione omnes hebdomadas complemus, tandem vnus dies residuus relinquetur, propter quem in Calendario Romano A. litera in anni principio & fine inseritur. Quare necessum erit anno completo literam dominicalem mutari. Hinc etiam liquet eas literas dominicales retrogradè numerari. Secunda causa huius mutationis ex anno bisextili depromitur. Annus enim solaris C. Iulij Cæsaris ex 365. diebus, et 6. horis constituitur. quæ horæ annuatim collectæ, in quarto anno diem conflant. In sexto Calendas Februarij in litera F. repetita intercalatur, & per consequens litera dominicalis immutatio oritur. Nunc quo pacto litera dominicalis, ad quemuis annum Domini currentem, inuestigetur, paucis accipe. Habito numero cycli solaris per doctrinam capitis 3. ingrediere cū eò tabellam hanc ad marginem annexam, cui statim ad latus dextrum litera dominicalis apponitur, quæ cum vnica duntaxat offertur, annum comunē indicat: Si verò duplex, annum bisextilem. Sed prior in ordine, vsq; ad dominicum diem, qui est proximior festo Sancti Matthie, retineatur: posterior reliquæ parti anni applicetur. Meminisse tantum conuenit literam Dominicalem A. in aliquo anno cadentem, semper ad primum diem mensis Ianuarij collocandam esse. B. ad secundum. C. ad tertium. D. ad quartum. E. ad quintum. F. ad sextum. G. ad septimum. Vnde deinceps per interuallum 7. dierum additio continuetur. Sic namq; literam dominicalem ad cuiuslibet anni integri spacium constitues. Sed hæc singula exemplis magis perspicua fient.

Cyclus solaris.	Litera dominicalis.	Primor. or.	Posteror. or.
1	G	F	
2	E		
3	D		
4	C		
5	B	A	
6	G		
7	F		
8	E		
9	D	C	
10	B		
11	A		
12	G		
13	F	E	
14	D		
15	C		
16	B		
17	A	G	
18	F		
19	E		
20	D		
21	C	B	
22	A		
23	G		
24	F		
25	E	D	
26	C		
27	B		
28	A		

E X E M P L V M.

Volo habere literam dominicalem, ad annum Domini currentem 1559. quod quidem anno cyclus Solaris supra per doctrinam capitis 3. obtinet 28. Cū hoc igitur numero tabellam ad marginē hic annexam consulo, penes quem, versus dextram statim vnica duntaxat literam offendo. Hinc etiam eum annum comunem esse pronuncio. Colloco autem literam dominicalem A. iam repertam principio è regione primi diei mensis Ianuarij. Secundo, è regione octauj. Tertio, è regione 15. Quarto, è regione 22. Quinto, è regione 29. eiusdem mensis Ianuarij. Sexto, è regione 5. Februarij. Et sic deinceps per interuallum 7. dierum progrediendo